



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 2. De mari Australi, vulgò Delzvr, parte Pacifici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

fingentibus. Quare in recentibus Tabulis, quidquid supra Californiam est, expunctum fuit. Dicitur autem *Pacificum*, quia in eo *Malacia* importunæ, & crudeles contingunt; & continet sequentes oras quas ex accuratâ Nautæ Cantabri Mappâ Hydrographicâ collegimus.

ORA CALIFORNIAE dicitur quidquid huic insulæ prætenditur inter Promontoria *Mondocinum*, & *Sancti Lucae*. Superior autem huius insulæ pars irrigatur Mari quod *Rubrum* nominant vulgò *VERMEIO*, & olim credebatur Sinus. Pars item eius Maris Rubri inferior appellatur ora *Piscaria la coste des Perles*, quoniam ad eam exquisitissimi vniones capiuntur.

ORA MERIDIONALIS NOVAE HISPANIAE, seu vt alij loquuntur *MEXICI la coste Meridionale du Mexic*, ou de la nouvelle Espagne, protenditur ab ore maris *Rubri*, seu Pro. *S. Lucae*, *Panamam* vsque. Neque inde concludes, hoc mare dici posse Austrinum *Delzur*; alio enim modo de toto, alio de parte loquendum est, ait Strabo.

ORA SANCTI MICHAELIS *la coste de S. Michel*, sic dicitur à Sinu cognomine: Item &

ORA POPAYANA *coste de Popayan* à prouincia vicina: eius limites sunt *Panama*, & Pro. *S. Francisci*.

§. 2. De Mari Australi, vulgò DELZVR parte Pacifici.

EXTENDITVR à Pro. *S. Francisci*, vel ab *Aequatore* ad *Freta*; alluitque multas insulas à *Batauis* detectas. Connectitur cum Oceano Orientali ad Gradum 180. & in eo sequentes Oræ numerantur.

ORA PERUVIAE, seu PERVANA *la coste du Peru*, aliter *du Perou*, à Pro. *S. Francisci* ad portum seu Fl. *Copaypum* porrigitur.

ORA CHILENSIS *la coste de Chilé*, sumitur à prædicti Fluij ostio ad Pro. *Victoriae*, vbi Fauces Occidentales Freti inchoantur.

MAGELLANICVM FRETVM *le Destrict de Magellan*, sic dictum à *Ferdinando Magellano* anno Christi 1520. cuius initium Orientale dixit Prom. 11000. *virginum*; quia die *S. Vrsulæ* sacro eò appulit: diùque colluctatus tandem euasit ad Fauces Occidentales vbi Pro. *Victoriae* inuenit. Multo autem tempore hoc Fretum ab *Hispanis* clausum est arcibus in vtroque littore defixis, ex quibus *Batauorum*, & *Anglorum* naues tormentis bellicis impetebant, quare *Bataui* moræ, periculi que pertæsi

FRETUM MÆRÆVM diu quæsitum inuenerunt, anno Christi 1616. sic dictum ab expeditionis duce *Iacobo*, vel *Isaaco le Maire*, cuius angustiis Occidentalibus duo sunt imposita nomina, versus Magellanicum Fretum Mauritij Ins. *Mauritzland*, versus polum Antarcticum *Stratenland*, hoc est, *le pays des Estats*. Orientales angustias vt potè nimis patentes nondum detexerunt, tantùm hîc nominauere Pro. Desideratum, *le Cap desiré*, vel vt loquuntur *Desirado*, vt Hispani *Descado*.

§. 3. *De Mari Occidentali.*

DERIVATVR in oram Americæ Oceanus qui nostrum orbem alluit versus Occidentem, ad quem perperam nonnulli vocem *Del-Nord* extendunt. Oceanum Æthiopicum quidam appellant, & verò videtur esse eius excursio, & appendix: in eo prima post Fretum occurrit

ORA PATAGONVM *la coste des Patagons*, à Patagonibus populis proceræ admodum staturæ, eaque extenditur à Pro. 11000. Virginum ad ostium Fl. Argentei vulgò *de la Plata*.

ORA TOPINAMBULTIA, vel GVARANIARVM *la coste des Toupinamboultz*, aliter *des Guaranies*, à populis, aut Regionibus sic dicta; & dilatatur à prædicto Fl. ad Pro. Frium, *Cabo Frio*.

ORA BRASILICA *la coste du Brasil*, vel meliùs *du Bresil*, à Pro. Frio ad Fl. *Amazonum* porrigitur: & per Pro. S. Augustini iterum in *Orientalem*, & *Borealem* diuiditur, quarum situs satis indicat Tabula.

§. 4. *De Mari Boreali vulgò DEL-NORD.*

AB Æquinoctiali, in Septentrionem vsque porrigitur, & in eo sequentes Oræ sic disponuntur.

ORA CARIBANA, seu CARIBVM, vel GVIANÆ *la coste des Caribes*, ou *de Guiana*, à populis crudelissimis nomen accepit, & extenditur à Fl. *Amazonum*, ad Fl. *Pariam* vulgò *Tuiapari*, aliter *Ouurinaque*.

ORA CVMANA protenditur à Fl. *Pariâ*, ad Sinum *Venezuela*, unde à quibusdam ORA VENEZVELÆ dicitur, quæ à Germanis olim colebatur.

ORA